



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 55. Regis oratio ad comitiorum auspicia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1588.

gioforum Ordinum supremi Moderatores: Nobilium vero Deputati erant centum, ac octoginta: plebæus autem Ordo submittebat centum nonaginta unum partim Viros togatos, partim Mercatores. Ipse etiam Rex, atque ambæ Reginæ hunc conventum sua honorabant præsentia.

§. LV.

*Regis oratio ad comitiorum auspicia.*

*Thuan. l. 92.  
David. l. 9.  
Mem. p. 524.* Cunctis rebus prævie dispositis, ac singulis in loco pro hisce comitiis celebrandis destinato convenientibus Rex suo insidebat folio, ad dextram vero Regina ejus Mater, atque ad lævam Regina Uxor, post eas autem suo Ordine Borbonius, & Vindocinus Cardinales, Franciscus Borbonius Contii Princeps, Carolus Sueffionum Comes ejus frater, Franciscus Borbonius Monpenserii Dux, alique Proceres suas quisque sedes occupabant. Postea Rex fatis prolixam concinnabat orationem, quam etiam gravi verborum Majestate perorabat, congregatos ita allocutus:  
„Præprimis a Deo omnipotente Maximo mihi beati sui Spiritus gratiam infundi peto, ut ea fretus ad ejus gloriam, Regni tranquillitatem, populi levamen opus susceptum ad optatum finem

Sæcul. XVI.  
A.C. 1588.

„finem perducere, & tot animarum,  
„quarum salus ex eo pendet, expecta-  
„tioni respondere valeam: nunc vero  
„de instauratione Regni, & malorum,  
„quæ per bella civilia, & superiorum  
„temporum licentiam in Gallias irrepse-  
„runt, emendatione agitur, ad quam  
„mihi divina ope opus esse sentio, Deum-  
„que toto pectore indefinenter oro, ut  
„hanc mentem profundissimis radicibus  
„in me hærentem in dies augeat, ean-  
„demque in vobis imprimat, ut evul-  
„sis, si quæ reliqua sint, factionum  
„plantis, in neminem alium, quam in  
„Principem vestrum intuentes, exuto  
„omni privato affectu, cunctas cogita-  
„tiones vestras, voluntates, studia, in  
„id dirigatis, ut splendore pristino, &  
„præclara illa facie Franciæ reddita,  
„securitas publica constituatur: quam  
„in rem si vota vestra jungatis, rem  
„nomine gallico, ingenio, & fide ve-  
„stra dignam efficietis. Hæc cura alte-  
„animo insidet, jamque, ex quo ad im-  
„perium vocatus sum, testem Deum  
„cordium scrutatorem, cujus opem  
„modo imploravi, appello, nihil anti-  
„quius habui, quam ut malis vestris,  
„ac calamitatibus publicis, quibus ul-  
„tra modum angebar, remedia com-  
„moda, quantum temporum iniquitas  
„sinebat, diligentia mea afferrem: nunc

P p 5

„vero

**Sæcul. XVI.** „vero cum accedente ætate majorem  
**A.C. 1588.** „rerum usum contraxi, quam acri in-  
 „tus morfu me rodi creditis, cum eas-  
 „dem calamitates augescere, & reme-  
 „diis hæctenus tentatis veluti irritari  
 „sentio, meque in iræ divinæ tempora  
 „reservatum video, quibus Ultor Deus,  
 „& mea, nam agnosco, & vestra causa  
 „exasperatus, justum in nos accensum  
 „furorem exercere cernitur? nullam  
 „non viam ab eo tempore mecum, &  
 „inter consiliarios inivi, quibus & di-  
 „vinam iram placarem, & populo tot  
 „malis oppresso levamen quærerem.  
 „Pace, & bello tentata sunt omnia,  
 „sed infelici exitu, nec possum incredi-  
 „bile ea in re studium, ac sedulitatem  
 „optime de me meritæ parentis meæ si-  
 „lentio præterire, cui & hoc nomine, &  
 „pro me, omnibusque regni ordinibus in  
 „hoc celeberrimo confesso dignas pu-  
 „blice gratias agi justum, & æquum  
 „visum est. Huic non solum secundum  
 „Deum debeo, quod sim, & in solio  
 „Principis toto Christiano orbe celeberrimi  
 „constitutus vobis imperitem; sed in-  
 „super quod usu rerum valeam, & opti-  
 „mis a pueritia præceptis imbutus,  
 „præcipuum pietatis, & Catholicæ Ro-  
 „manæ Religionis instaurandæ, ac rei-  
 „publicæ in meliorem statum veluti  
 „formandæ studium habuerim, huic  
 „uni

Sæcul. XVI.  
A.C. 1588.

„uni acceptum fero, quæ nullis labo-  
 „ribus pepercit, nullam ætatis, & va-  
 „letudinis rationem habuit, ut turbas  
 „passim exortas comprimeret, & cul-  
 „tum divinum, ac quietem per regnum  
 „constitueret: ab ea edoctus curam om-  
 „nem, & oblectationem in republica  
 „ordinanda semper posui: hinc ob id  
 „tanquam optimum, & salutare reme-  
 „dium comitia Regni indixi, ab eadem  
 „in hac deliberatione confirmatus, nec  
 „ullis factionum motibus, quibus ea  
 „retardatum iri plerique existimabant,  
 „ab hoc consilio dimoveri potui. Præ-  
 „clare a Majoribus constitutum est ad  
 „legum, & Principis, qui legum custos  
 „est, auctoritatem stabiliendam, ut con-  
 „vocatis regni comitiis accedente Re-  
 „gis auctoritate malis domesticis per  
 „bella civilia, & temporum licentiam  
 „inveteratis ex salutaribus Ordinum  
 „consiliis remedium peteretur, hoc  
 „enim ad confirmandam, & non labe-  
 „factandam legitimam potentiam perti-  
 „net, quicquid stulti quidam, & im-  
 „prudentes rerum æstimatores maligne  
 „contra blatterent, nam optimis legi-  
 „bus instauratis, ac servatis bonus Prin-  
 „ceps in regno contra omnes conatus  
 „firmatur, ex quo de mea constantia  
 „vobis abunde constat, quæ sola con-  
 „tra factiosorum machinationes restitit,  
 „& bo-

Sæcul. XVI. „& bonum opus ad felicia initia ad-  
 A.C. 1588. „duxit, sincera quippe mihi in hoc ne-  
 „gotio mens est, aut Deus me male  
 „perdat, nec ulla conscientia coitionum,  
 „aut prensationum ad labefactandam  
 „comitiorum, & suffragiorum liberta-  
 „tem factarum teneor, testes vos ap-  
 „pello, ruboremque mihi incuti volo,  
 „siquid tale fecerim, ut certe erubescere  
 „debent, siqui sunt, qui eo impudenti-  
 „tiæ, & audaciæ devenerint, ut hu-  
 „jusmodi machinationes in negotio,  
 „quod ad regni instaurationem spectat,  
 „ad convellendam publicam securita-  
 „tem adhibuerint, & capita certa man-  
 „datis provinciarum inferi curaverint,  
 „quæ expetitam ab omnibus quietem  
 „turbent. Hac fiducia fretus a vobis  
 „jure meo peto ego legitimus a Deo  
 „impositus Galliæ Princeps, ut causam  
 „meam ab eorum causa discernatis,  
 „rectam meam erga vos, & universum  
 „regnum voluntatem consiliis vestris  
 „adjuvetis: ad Dei Gloriam illustran-  
 „dam, religionem Catholicam, Apo-  
 „stolicam, Romanam constituendam,  
 „sectarium virus extirpandum, rem-  
 „publicam ordinandam, populi leva-  
 „men, & auctoritatem regiam per bella  
 „civilia collapsam non tam meo privato  
 „commodo, quam universorum bono  
 „erigendam, inter omnes administra-  
 „tionum

Sæcul. XVI.  
A C. 1588.

„tionum publicarum formas principa-  
 „tus procul dubio excellit: ejus optimam  
 „omnium rationem sub Decefforibus  
 „meis experti gratias Deo Optimo Ma-  
 „ximo habere debetis, quod vos hoc  
 „rerum statu nasci voluerit, atque adeo  
 „sub eo, qui ab eadem tot Regum pro-  
 „sapia progenitus, non tam ad regni hæ-  
 „reditatem legitima fucceffione crevit,  
 „quam in idem laudabile Religionis Ma-  
 „jorum afferendæ, ac regni inftaurandi  
 „defiderium fucceffit. Non omnis, qui  
 „regno inolevit, mihi perversitas im-  
 „putanda eft, quamquam propriam  
 „negligentiam aliqua in parte agnofcam,  
 „nec diffitear, multa eorum, qui circa  
 „me funt, culpa irrepfiffe, quæ emen-  
 „datione egeant, fed dabo in pofterum  
 „operam, ut non mei tantum, fed meo-  
 „rum rationem habuiffe videar, & qui  
 „propter transversos agi fe paffi ab af-  
 „fectu, & fide declinarunt, errorem  
 „fuum agnofcere cogantur: porro cer-  
 „tiffima egregii in cultu divino inftau-  
 „rando, & malo feftario extirpando af-  
 „fectus pignora me dediffe puto bellis,  
 „antequam ad regnum vocarer, patra-  
 „tis, totque præliis feliciter contra fe-  
 „ftarios commiffis, multosque ex iis,  
 „qui adfunt, non folum gloriæ tantæ  
 „participes, fed etiam testes habeo,  
 „quo in laudabili propofito perfeverare  
 „de-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1588

„decevi, vitam pro Religione profun-  
 „dere, quam antea, paratior, quippe  
 „qui nullum Christiano Principe dignius,  
 „quam in sectariorum ruinis monumen-  
 „tum extrui posse existimo, prout id  
 „recenti exemplo profligati Germano-  
 „rum exercitus satis ostendi, ut mirari  
 „satis non queam, homines esse adeo  
 „animis cæcos, qui quemquam esse toto  
 „meo regno putent, qui majore odio  
 „adversus sectarios inflammetur, nam  
 „ut nihil pro gloria Dei, quæ mihi pro-  
 „pria vita semper proximior fuit, omit-  
 „tam, doleo, quod illius patrimonium  
 „sectarii hodie usurpent, vectigalia ex-  
 „hauriant, subditos ab obsequio alie-  
 „nent, ejusque auctoritatem spernant,  
 „ac pedibus conculcent? cui ergo odii  
 „justior, quam mihi adversus eos causa?  
 „respicite in edictum unionis a me con-  
 „tra eos sancitum, cujus præsentio-  
 „rum fructum omnes sensissent, nisi is nuper  
 „exortis motibus retardatus fuisset,  
 „nam absque hoc in Pictones ipse pro-  
 „fectus fuisset, ubi eadem, quæ me  
 „semper antea fortuna, quin comitata  
 „esset, non est cur dubitare debeam.  
 „Ut autem vobis manifestum faciam,  
 „quam instaurationis publicæ desiderio  
 „teneor, quædam summatim attingam  
 „emendatione indigentia, in quibus  
 „gravissime contra Deum, decus no-  
 „strum,



Sæcul. XVI.  
A.C. 1588.

„strum, & rempublicam peccari palam  
„est: porro ante omnia pejerationes  
„execrandas dignis pœnis puniri nullo  
„habito personarum respectu, idque ut  
„postulatis vestris urgeatis, volo, & jubeo:  
„nundinationes item in rebus sacris, & in  
„publicis judicium, quorum multipli-  
„catum numerum magno populi detri-  
„mento, & summo meo cum dolore  
„sentio, muneribus dispensandis pro-  
„hiberi volo, cui malo cum ante trien-  
„nium adhibere remedia cæperam, ex-  
„ortis bellis rei tam necessariæ confi-  
„ciendæ commoditas mihi erepta est;  
„nunc autem a fide, & diligentia vestra  
„exspecto, ut rationes populi hac in  
„parte exonerandi ineatis. Ego certe  
„deinceps tam in muneribus Ecclesiasti-  
„cis, quam juridicis, aliisque digni-  
„tatibus, ac Præfecturis distribuendis  
„hoc moderamen servabo, quo simul  
„conscientiæ meæ, decori, regni bono,  
„ac splendori satisfaciam, ut spatium ad  
„deliberandum sumpto, ac re mature  
„pensitata meritorum cujusque ratio  
„habeatur, eaque dignis tantum in po-  
„sterum deferantur, idque prædictum  
„volo, ut, quemadmodum beneficia om-  
„nia a me solo proficiscuntur, ita col-  
„latorum gratia uni mihi referatur: in-  
„super moneo eos, qui ea a me acci-  
„pient, ut ad exonerandam & meam,  
„&

Sæcul. XVI. „& suam ipforum conscientiam, fide,  
 A.C. 1588. „diligentia, integritate, qua debent,  
 „in iis administrandis defungantur, si  
 „aliter facient, me severum ultorem  
 „proculdubio habituri, nam id amplius  
 „non connivere cum animo meo confi-  
 „tui, & quia superiorum temporum de-  
 „pravatione, ac licentia effectum est,  
 „ut importunis multorum efflagitatio-  
 „nibus quædam beneficiorum gratiæ  
 „expectativæ a me malo more extortæ  
 „sint, nullas me hujusmodi in poste-  
 „rum concessurum, & concessas nunc  
 „revocare profiteor, ac religiose pro-  
 „mitto; quippe quæ votum captandæ  
 „mortis inducunt, & pessimo exemplo  
 „petuntur, & conceduntur: nulli in-  
 „super in muneribus publicis eadem de-  
 „re gratiam faciam, de gratificatio-  
 „nibus jam concessis, prout vobis vide-  
 „bitur, decreturus. Præprimis opus  
 „est, ut evocationes, criminum gratiæ,  
 „& abolitiones ad legum, ac constitu-  
 „tionum regiarum modum deinceps  
 „temperentur, quo celerius lites, ac  
 „minore cum populi vexatione finem  
 „accipiant, & crimina exactius casti-  
 „gentur: nec in deliberationibus vestris  
 „Opificum artes, magnumque, quod  
 „ex iis ad publicam utilitatem redun-  
 „dat, ornamentum minimæ omittendum,  
 „quo commercii libertas restituatur,  
 „omni

Sæcul. XVI.  
A.C. 1588.

„omni luxu, & noxia exuperantia re-  
 „secta, & pretio iusto, quod adeo mo-  
 „dum omnem superavit, mercibus im-  
 „posito: præterea de fide vestra mihi  
 „polliceor, quod antiquæ constitutiones,  
 „quæ spectant dignitatem, & auctorida-  
 „tem regiam, & cultum, qui ei, &  
 „ipfius Magistratibus debetur, per bella  
 „civilia oblitteratæ in usum revocen-  
 „tur: nec mihi minus, quam vobis,  
 „hæc animo cura iniusta vivit, si me  
 „sine liberis masculis decedere contin-  
 „gat, ne sub Regis hæretica pravitate  
 „infecti potestatem veniatis: testor  
 „Deum, me non plus de salute æterna,  
 „quam ut vos hoc metu & malis ex  
 „eo secuturis liberem, sollicitum esse:  
 „ob eam præcipue causam edictum  
 „Unionis condidi ad detestandam hæ-  
 „resin abolendam, quod etsi ritu solemn-  
 „juravi in illo loco, & coram eo, qui ad  
 „Sacramenti religionem constanter ser-  
 „vandam cunctos adstringit, suadeo  
 „tamen, quo illud in posterum stabilius  
 „sit, ut inter leges fundamentales (hoc  
 „nimirum verbum a factiosis ad subver-  
 „tenda regni fundamenta excogitatum  
 „fuerat) referatur, & proxima Sessione  
 „convocatis denuo ordinibus cuncti  
 „publice Sacramento adigantur, & mox  
 „de sumptibus in bellum faciendis a vo-  
 „bis prospiciatur, ne tam laudabiles

*Hist. Ecclesiast. Tom. L.*

Q q cona-

Sæcul. XVI. „conatus ad Dei gloriam instituti re  
 A.C. 1588. „tardentur, aut irriti omnino evane  
 „scant: hoc autem meo unionis edicto  
 „cum alia omnia foedera, nisi quæ au  
 „thoritate mea ineuntur, societates  
 „coitiones, militum conscriptiones, tri  
 „butorum impositiones, pecuniæ tan  
 „extra, quam intra regnum collata  
 „nes diferte prohibentur, tum ita vol  
 „& jubeo, ut, qui deinceps post con  
 „tum edictum, & leges comitionum  
 „suffragiis decretas ab hujusmodi fo  
 „derationibus, ac societatibus non de  
 „serit, aut sine meo jussu & absque dip  
 „mate publica sigilli regii auctoritate  
 „firmato in iis remanserit, is in hæc  
 „Majestatis crimen incurrisse intelli  
 „tur. Hoc mihi, & publicæ regni tran  
 „quillitati debeo, & vos vicissim mihi  
 „ac vobis debetis: porro proximum est  
 „in militari disciplina, quæ olim non  
 „solum toti Christiano orbi ad exem  
 „plum proposita erat, sed terrorem quo  
 „que hostibus, admirationem vicinis po  
 „pulis pariebat, in hoc regno instauranda  
 „a vobis elaboretur, ut bellum Religio  
 „nis causa susceptum commode con  
 „fici possit, nec in populi id pro pietate  
 „insita flagrantis perniciem vergat;  
 „ad id pecunia, quæ præcipuus belli ne  
 „cessus est, opus esse minime ignoratis,  
 „qua militi non numerata, eidem, „rapit

Sæcul. XVI.  
A.C. 1588.

„rapiat, imperari a prudentissimis di-  
 „ctum est: itaque ne bellum hoc tam  
 „ad virus sectarium extirpandum, quam  
 „ad populi perniciem susceptum videa-  
 „tur, vestrum est, ut de ratione pe-  
 „cuniariæ rei expediendæ in commune  
 „consultetis. Sane idem mihi, quod  
 „Imperatori Romanorum olim, votum  
 „est, ut cuncta vectigalia, & tributa  
 „omitterentur, & siquidem salva au-  
 „toritate imperii liceret, libenter id  
 „pulcherrimum donum subditis meis  
 „darem, sed cum nec miles sine stipen-  
 „dio in castris retineri, nec respublica  
 „sine fructibus sustineri possit, iisque  
 „sublatis imperii dissolutionem sequi  
 „necesse sit, agite, & quam minimo  
 „populi onere fieri poterit, ærarium  
 „supplete, nam in rationes ejus ut  
 „inspicere, & de eo decernere possitis,  
 „vobis libertatem facio, cum populi leva-  
 „men, vel vitæ meæ contractione li-  
 „bertissime a Deo redimam, quippe  
 „nihil proprium mihi, nihil sepa-  
 „ratum a publicis regni necessitatibus,  
 „ne vitam quidem caram habeo, nisi  
 „quatenus, & quamdiu regno decora,  
 „cunctisque vestrum utilis futura est:  
 „præterea ad dignitatem meam, & exi-  
 „stimationem vestram pertinet, ut de  
 „alieno ære, quod non omne a me  
 „contractum est, dissolvendo cogitetis,

Qq 2

„& fi-

Sæcul. XVI.

A.C. 1588.

„& fidem publicam liberetis, meam-  
 „que, ac Decessorum meorum conscien-  
 „tiam exoneretis. Ceterum cum Prin-  
 „ceps tanquam tabula prostet, ad cu-  
 „jus imaginem subditi mores suos ef-  
 „fingunt, sic me domi, forisque, om-  
 „nemque meam familiam componere  
 „statui, ut cunctis regni Ordinibus  
 „exemplum sim, atque ut facto de-  
 „monstrem, quanta religione om-  
 „nia ea, quæ in celeberrimo hoc comi-  
 „tiorum confessu statuentur, servan-  
 „cupiam, me ante omnes, ac ceteros  
 „aulæ Principes, ac Proceres, & ordi-  
 „num delegatos sumpto dominici Corpo-  
 „ris Sacramento obstringere volo, præci-  
 „piens, ut quæcunque ad postulata vel-  
 „responderim, & pro lege inviolabili de-  
 „creverim, ab iis nemini, nisi conto-  
 „max, & læsæ Majestatis reus haberi  
 „velit, ac ne mihi ipsi vel tantillum  
 „ulla de causa, aut prætextu discedere  
 „liceat, cunctaque Comitiorum decreta  
 „prout a me constituta fuerint, proci-  
 „nus ad regni curias, ac in præfectio-  
 „ras mittantur, & solenni omnium  
 „ordinum jurejurando confirmentur  
 „qua in re, si quibusdam infra meam  
 „dignitatem quid facere videor, dum  
 „legum, quarum conditor sum, impe-  
 „rio me subjicio, ii sciant, boni princ-  
 „pis esse, cunctas cogitationes, & actio-  
 „nes

Sæcul. XVI.  
A.C. 1587.

„nes suas ad optimarum legum nor-  
„mam dirigere, neque committere, ut  
„illæ vi, vel gratia ullo pacto labefa-  
„ctentur, siqui tamen rursus objiciant,  
„multum ea ratione de regii fastigii  
„sublimitate diminui, iis responsum  
„volo, regnum, quod ita diminui ajunt,  
„eo durabilius, & magis securum ad  
„posterios transmitti. Tandem ut finem  
„faciam, postquam imperio, & auctori-  
„tate, quæ mihi in vos a Deo attri-  
„buta est, usus sum, ad hortationes,  
„ac preces descendo, vosque per cul-  
„tum, quem Deo, & obsequium, quod  
„mihi secundum Deum debetis, per  
„nominis Francici, quod erga Reges  
„suos semper non fidum tantum, sed  
„etiam pertinaci amore flagravit, de-  
„cus, per Majorum meorum, hoc est,  
„tot Regum, quorum dominationem  
„tam mitem experti estis, cineres, per  
„charitatem patriæ, per pignora, &  
„necessitudines, per Uxores, liberos,  
„ac fortunas iterum oro, & obtestor,  
„ut deposito omni alio affectu consilia,  
„studia, voluntates mecum conjunga-  
„tis, & procul ab omni ambitione exem-  
„plo meo in publicæ rei instauratio-  
„nem incumbatis.

„Si contra feceritis, non solum ca-  
„pita vestra æterno dirarum piaculo  
„obligabitis, sed indelebilem infamiæ

Qq 3

„notam

Sæcul. XVI.

A.C. 1588.

„notam immortalī gloriæ inuretis, &  
 „præclarum illud fidei gallicanæ tan-  
 „topere olim deprædicatæ nomen a  
 „Majoribus relictum amittetis: ego ve-  
 „ro cælum, terramque contestabor,  
 „Deique, atque hominum fidem ap-  
 „pellabo, me nihil reliqui fecisse, qui  
 „implorata ope vestra monstrorum pe-  
 „licentiam in civilem administrationem  
 „invectorum tetra pestis expugnaretur  
 „vos econtra virtutis pristinæ oblitos  
 „& quasi in medio certamine perfidos  
 „emansores turpi fuga legitimum Prin-  
 „cipem, & imperatorem vestrum dele-  
 „ruisse, & post omnia ad tribunal De-  
 „vos ad causam dicendam in jus voca-  
 „bo, ubi detracta persona citra fucum  
 „& amoto velo omnia geruntur, ubi  
 „scenicæ dissimulandi arti locus non est  
 „ubi falli, & fallere non licet, ut  
 „gnas perfidiæ, contumaciæ, ac simula-  
 „tæ pietatis pœnas luatis.

Ceterum Guisus Dux ad hanc Re-  
 gis orationem nonnihil commotus hæ-  
 serat: vivis enim coloribus ejus indoles-  
 sæpius depicta apparebat, fœderisque  
 Duces tanquam rebelles, & seditionis  
 traducebantur: magis autem crescebat  
 Ducis indignatio, cum hanc orationem  
 Regis jussu typis vulgandam intelligen-  
 ret: eapropter Lugdunensem Archiep-  
 scopum hortabatur, ut Regem ab hoc  
 propo-



proposito absterreret: ergo Archipræsul<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
rem aggressurus Regi exponit, fatius <sup>A.C. 1588.</sup>  
fore, si hæc oratio quamvis eloquens,  
atque elaborata esset, penitus supprime-  
retur, quam ut Rex per eam suorum  
subditorum, qui merito exinde offen-  
derentur, odium incurrendi periculo  
sefe exponeret: cum cunctis facile per-  
suasum esset, quod Rex præteritorum  
haud immemor foret, ipsi vero non si-  
ne maximo animi dolore sefe tanquam  
rebelles haberi, ac coram universo  
Franciæ Regno de perfidia postulari  
cernerent. Verum hæ Archiepiscopi  
rationes minime obstabant, quo minus  
hæc oratio prælo subjecta in vulgus spar-  
geretur.

## §. LVI.

*Montholonus Regii Sigilli Custos  
perorans.*

Postea Regis orationem excepit Mont-<sup>Thuan. Es</sup>  
holonus, quem Rex exauctorato <sup>Mem. pag.</sup>  
Chivernio Cancellario Regii Sigilli Cu-435.  
stodem nominaverat: porro hic fusius  
piam Regis voluntatem deprædicans,  
suum sermonem ita exorsus est: „Regi  
„nihil prius, atque antiquius fuit, si-  
„mul ac Regnum inivit, quam ut ratio-  
„nem corrigendorum, quæ prave irre-  
„pserant, rationem iniret, quippe qui  
„se populi tutorem existimat, in idque  
Qq 4 „in